

Bene Augustinus *Tom. 3. de opere Monachorum* : Desit recta intentio, & non poterunt amplius tueri nomen operum bonorum : talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua, cur ea facias. Hæc bona intentio fluere debet ex charitate erga Deum & proximum, adeoque ex vera fide, quæ per charitatem efficax est. *Gal. V. 6.* Ubi minister Ecclesiæ non habuit hanc intentionem, sed terrena tantum quæsiuit, ipsique in officio sacro constituto aduersa obtingunt, e. g. si odiis impiorum obruitur, si convitiis proscinditur, si rei familiari angustia premitur, è statu tranquillæ mentis facile dimouetur, & in cursu studiorum & functionum sacrarum remissior redditur, ut bene iudicat B. Gerhardus in *method. studii Theol. p. 13.*

§. 9. Quartum prærequisitum remotius futuri Ecclesiæ ministri est pietatis studium. In futuro enim Ecclesiæ ministro requiritur spiritualis sapientia, ut sciat, quomodo cum diversis auditoribus diversimode procedere debeat, ut omnia in Ecclesia sapienter ordinare ad gloriam Dei, & Ecclesiæ utilitatem atque ædificationem propagandam norit. Hujus vero sapientia spiritualis principium est timor Domini, teste Psalmista *Pf. CXI. 9. Prov. 1. 7.* Timor Domini principium scientiæ. Addit Salomo, stultos esse, qui sapientiam hanc despiciunt, & consequenter, qui principium ejus nempe studium pietatis parvi æstimant & negligunt. *ibid. c. 9. 10.* Sapientia non intrabit in animam malevolam *Sap. c. 1. 4.* Deinde Minister Ecclesiæ tum in officio tum in præparatione ad illud, opus habet auxilio Spiritus Sancti : at vero Spiritus Sanctus fugit impios & studium pietatis negligentes. *Sap. 1. 5.* Denique minister Ecclesiæ tum in præparatione ad sacrum ministerium, tum in ipso ministerio deduci debet in omnem veritatem : at vero Spiritus sanctus est doctor ille internus, qui in omnem veritatem ducit, *Job. 16. 13.* hic vero sua operatione salutari recedit ab illis, qui sinceræ pietati non dant operam.

§. 10.